Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

In Mabillonii editione est Sermo 4tus de adventu domini. 13.

iiij

Sermo bti Berhardi abbatis in aduentu dni.

Dignum est fratres ut tota deuocione dni celebre
mus aduentum. delectati tanta consolacione. stu
pefacti tanta dignacione. inflammati tanta di
lectione. Nec uero solum cogitetis eum quo uenit querere
et saluum facere quod perierat. set et illum nichilominus
quo ueniet et assumet uos ad seipsum. Utinam circa hos du
os aduentus iugi meditacione uersemini. ruminantes
in cordibus uestris. quantum in priore prestiterit. quantum
promiserit in secunda. Utinam certe dormiatis inter me
dios cleros. Hec enim sunt duo brachia sponsi. inter que spon
sa dormiens aiebat. Leua eius sub capite meo. Nam in sinis
tra quidem eius. sicut alibi legimus. diuicie et gloria. in dex
tera longitudo uite. In sinistra eius inquit diuicie et glo
ria. Filii adam genus auarum et ambiciosum audite. Quid
uobis cum terrenis diuiciis et gloria temporali. que nec uere
nec uestre sunt. Aurum et argentum nonne terra est rubra
et alba. quam solus hominum error facit aut magis re
putat preciosam. Denique si uestra sunt hec tollite ea uobis
cum. Sed homo cum interierit non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius.
Vere ergo diuicie non opes sunt sed uirtutes. quas secum
consciencia portat. ut in perpetuum diues fiat. De glo
ria quoque dicit apostolus. Gloria nostra hec est testimonium consciencie nostre. Hec
est utique illa gloria. que est a spiritu ueritatis. Ipse enim spiritus
testimonium perhibet spiritui nostro quod sumus filii dei. Gloria
uero quam ab inuicem accipiunt qui gloriam que a solo
deo est non querunt uana est. quoniam uani filii hominum.
Insipiens tu qui mercedem congregas in saccum per

sunt

xiii.